

per se differentias actus moralis in esse moris, quia differentia boni, et mali comparatur per se ad rationem; actus autem dicuntur morales, et humani secundum quod sunt a ratione. Quæ probatio est nulla, si actus dicuntur morales secundum quod sunt a libertate, quia sic deberet dicere D. Thomas quod bonum, et malum morale per se comparantur ad rationem liberi, si habent pro genere ipsam liberi rationem; differentia enim semper comparantur per se ad id quod est genus. Non autem hoc dicit D. Thomas, sed quod per se comparantur ad rationem: quæ sunt valde diversa, quia ratio est in mente, et libertas in voluntate. Et D. Thomas probat per se comparari ad rationem, quia bonum hominis est secundum rationem esse, et malum quod est præter rationem. Non est autem bonum homini operari secundum voluntatem, seu libertatem, imo tunc maxime errare solet, cum stat pro ratione voluntas. Et in articulo octavo, hujus quæstionis docet, quod actus humanus, qui dicitur moralis, habet speciem ex objecto relato ad principium humanorum actuum, quod est ratio. Ergo secundum D. Thomam formalis ratio, quæ dat speciem non est ratio liberi, seu voluntarii etiam ex parte objecti relucens, sed objectum sub ea formalitate, qua se habet ad rationem, licet libertatem prærequirat.

XVI. Dices non sumi sufficiens fundamentum ex hac D. Thomæ consequentia, in qua nos facimus vim, quia similem consequentiam facit pro parte voluntatis infra quæst. xix, articulo primo, ubi inquit: « Quod bonum, et malum sunt per se differentia actuum voluntatis, quia bonum et malum per se pertinent ad voluntatem, sicut verum et falsum ad rationem; ergo voluntas bona, et

mala sunt actus differentes secundum speciem. » Quæ consequentia esset nulla si ratio voluntatis, seu voluntarii et liberi non compararetur ut genus ad tales differentias boni et mali; alias non diceret bene D. Thomas comparari per se ad voluntatem, sed deberet dicere comparari per se ad rationem. Adde quod in quæstione xx, sequenti articulo secundo docet D. Thomas, quod in actu exteriori, seu imperato illa bonitas, quæ est secundum ordinem ad finem tota dependet ex voluntate: illa autem, quæ est ex debita materia, vel circumstantiis dependet ex ratione. Ergo secundum D. Thomam non omnis bonitas moralis ex ratione dependet, sed aliqua ex voluntate, alia ex ratione.

XVII. Respondetur in illa consequentia D. Thomæ explicanda non parum laborare Cajetanum in commentario illius primi articuli; an ibi loquatur D. Thomas de differentia per se, et de voluntate in genere naturæ; an in genere morali, quod est accidens voluntatis considerata in genere naturæ. De quo latius agemus infra disp. xii. Sed pro præsentem mihi videtur D. Thomas, cum dicit: « Bonum et malum esse per se differentias actus voluntatis, » loqui de bono et malo morali, de hoc enim in illa quæstione, et in ista agit; et loqui de bono, et malo in genere naturæ extraneum erat a præsentem tractatu, ubi solum agitur de bonitate, et malitia morali. Et ita cum dicit esse per differentias actus voluntatis, sumit ly voluntatis non absolute, et nude, sed prout regulatæ, et subjectæ rationi, ita quod sensus est: Bonum et malum morale sunt per se differentia voluntatis regulatæ, et subjectæ rationi, et sic voluntas bona, vel in alia sunt actus differentes secundum speciem, scilicet in genere morali, et regulabili per rationem. Ducor ad hoc ex ipsomet

textu D. Thomæ, quia proponens tertium argumentum in eodem articulo primo quod objectum voluntatis est bonum bonitate naturæ; ergo non potest præstare voluntati bonitatem moralem, et sic bonitas voluntatis non dependet ex objecto, respondet: « Quod bonum per rationem repræsentatur voluntati ut objectum, et in quantum cadit sub ordine rationis pertinet ad genus moris, et causat bonitatem moralem in actu voluntatis, ratio enim principium est humanorum actuum, et moralium, ut supra dictum est. » Ergo manifeste se explicat D. Thomas, quod loquitur de actu voluntatis ut morali, seu subjecto rationi, et de ordine ipsius ad objectum, ut cadit sub ordine rationis, et pertinet ad genus moris. Et sic valida stat consequentia, et doctrina S. Thomæ, quod sumitur ratio moralitatis, et species ejus ex objecto relato ad rationem, et non præcise ad libertatem, seu voluntatem, imo ex isto loco vim, et illustrationem sumit hæc doctrina, quia hic manifeste se explicat D. Thomas, quod actus voluntatis non ex objecto ut volito, et libero, sed prout cadit sub ordine rationis sumit genus moris, et sic ratio liberi, ut condistinguitur ab eo quod rationis est, non dat genus morale.

XVIII. In secundo loco, quem objicit argumentum, minorem invenio difficultatem, si totus locus legatur; dicit enim sanctus doctor sic: « Bonitas quæ est secundum ordinem ad finem tota dependet ex voluntate: illa autem, quæ est ex debita materia, vel circumstantiis dependet ex ratione. » Et statim addit: « Et ex hac dependet bonitas voluntatis, secundum quod in ipsam fertur. » Ubi ly ex hac refert ly ex ratione, quod immediate præcesserat, quasi dicat, quod bonitas illa voluntatis ex qua dependet tota

bonitas, quæ est secundum ordinem ad finem dependet ex ratione, id est, non ex sola voluntate sumitur, sed ex ratione, secundum quod in ipsam fertur voluntas, atque adeo semper in sententia D. Thomæ bonitas moralis ex ordine ad rationem formaliter, et per se sumitur non ex ordine ad voluntatem, nec inde ut præcise libertatem dicit, genus moralitatis sumitur. De aliis locis D. Thomæ qui non infringunt consequentiam factam, sed plane videntur dicere actus esse humanos in quantum voluntarios, dicemus infra solutione ad primum.

XIX. Fundamentum hujus partis deducitur a priori ex ipsa doctrina D. Thomæ, quia ratio moralitatis in actibus pertinet ad hoc quod est esse mensurabile, et ordinabile per legem, et prudentiam, sicut in artefactis esse artificiale pertinet ad rationem mensurabilis per artem. Unde ars versatur circa factibilia ordinando, et mensurando, sicut prudentia circa agibilia. Mensura autem in his, quæ more humano aguntur, et operantur non est libertas, sed ratio et lex, præsertim divina, nam potius agere pro libito, et pro libertate est agere sine mensura et ordine, sed totus ordo agendi in his, quæ more humano fiunt est a ratione. Sicut ergo in artificia libus tota formalis ratio artefacti sumitur penes ordinem ad regulas artis, quæ sunt in mente artificis, et in ordine ad ideam, ita in moralibus, seu agibilibus, ratio formalis debet sumi per ordinem ad regulas rationis, quæ per ipsam prudentiam, quæ est in mente operantis applicantur, quia tam moralitas, quam artificium ad genus mensurationis spectant. Ergo libertas non potest se habere, ut formalis ratio hujus mensurationis, sed actus liber se habet ut materia regulabilis per rationem sicut res externæ, ut



lapides, et ligna sunt regulabiles per artem; et ita libertas est conditio tenens se ex parte materiæ moralis, quia solum actus voluntarii, et liberi sunt per prudentiam regulabiles, et mensurabiles.

XX. Confirmatur, quia illud est formale genus in aliquo genere, quod per se, et formaliter contrahitur a differentiis illius generis: liberum autem ut liberum non contrahitur per se a bono et malo, quæ sunt differentiæ in genere morali. Nam bonum in moralibus dicitur illud, quod est plenum, et perfectum in tali genere. Non autem dicitur aliquid bonum morale, quia est magis perfectum, aut magis plenum in esse liberi, et in ratione libertatis: imo stat aliquid esse magis liberum, et minus bonum, ut quando aliquis non solum agit libere in exercitio cum majori advertentia, et iudicio, sed etiam agit propter ipsam libertatem, et ut illam ostendat, scilicet quia vult, et tamen minus temperate, et modeste procedit, imo plerumque pejus proceditur, quando stat pro ratione voluntas. Ergo libertas non est id per cuius plenitudinem, et augmentum aliquid redditur bonum, aut melius in genere moris, licet prærequiratur libertas in ipso actu, ut reddatur ordinabilis, et mensurabilis per prudentiam, et regulas rationis, per cuius defectum redditur aliquid malum moraliter, sicut per majorem commensurationem redditur perfectius.

XXI. Et tandem explicatur, et confirmatur hoc, quia in actibus moralibus oportet assignare materiam habilem, et capacem ut dirigatur, et ordinetur a prudentia, et a ratione, si quidem ratio non dirigit, nec ordinat nisi de materia apta, et habili ad suum finem: sicut ars supponit materiam capacem, et habilem ut introducat formam artis, et

ordinetur secundum illam; et sic materia artis appellatur factibilis, materia vero prudentiæ vocatur agibilis. Ergo oportet in hac materia assignare condiciones requisitas, ut sit dirigibilis a prudentia, et a ratione. Constat autem, quod actus non liber, nec voluntarius, non potest dirigi a regulis prudentiæ, et morum, quia non est in nostra potestate, nec lex, aut præceptum ordinat de actibus necessariis, sed liberis, nec prudentia dictat, et consulit nisi de arbitrariis, et contingentibus; ergo actum esse liberum est conditio requisita, et tenens se ex parte materiæ moralis, non ejus forma, aut formale genus illius: sicut in materia artis, et conditionibus illius, verbi gratia quod pro gladio assumatur ferrum, et materia dura, quæ requiritur ad scindendum non est genus gladii, aut rei artefactæ, sed materia ejus, vel ad materiam pertinens.

XXII. Aliæ rationes solent adduci ad probandam hanc conclusionem, videlicet, quia alias idem actus liber posset habere duas species morales, verbi gratia furti et adulterii, jejunii et pœnitentiæ: vel etiam posset successive idem numero actus esse bonus et malus, quæ sunt diversæ species manente eodem numero actu. Quæ rationes minus efficaces videntur, quia non est certum id, quod assumunt. Nam idem actus liber non potest habere duas species essentielles in genere moris, sed una tantum est essentialis, alia accidentalis, quod nullum inconveniens est in eodem numero actu. Similiter licet idem actus externus possit successive esse bonus, et malus, ut eadem comestio carni, si modo fiat in die non prohibito, et postea continetur in die prohibito, tamen non est certum hoc idem posse contingere in actu interiori, quia accedente die prohibito, si

adest advertentia de prohibitione, et continuatur voluntas comedendi, mutatur dictamen, et consequenter actus voluntatis, qui sequitur propositionem intellectus, et de novo illi conformatur non obstante prohibitione, quam de novo advertit, et vult nihilominus continuare comestionem sub illa nova circumstantia, et advertentiæ. Si vero non advertit inculpabiliter diem esse prohibitum et continuat, non peccat, sed manet idem actus sicut ante. Quod si culpabiliter non advertit, est perinde quoad mutationem actus, ac si adverteret, quia negligenter vult se habere.

XXIII. Dico secundo: Moralitas in actibus immediate elicitis a voluntate, non est sola denominatio extrinseca, sed ordo intrinsecus ad objectum, et tendentia realis ad ipsum, non solum in actibus bonis, sed etiam in malis. Dico in actibus immediate elicitis a voluntate, quia de elicitis ab alia potentia ex imperio voluntatis, non currit hæc conclusio, si isti actus solum denominatione quadam extrinseca voluntarii sint. Cum enim materia regulabilis a lege, et prudentia sit actus voluntarius, qui solus est capax talis ordinationis, et mensurationis, si actus aliquis non fuerit voluntarius, nisi extrinsece, etiam eodem modo regulabilis, et mensurabilis erit a ratione, quod est esse morale. Totum hoc enim extrinsecum erit illi actui, qui solum quadam denominatione extrinseca voluntarius est, et capax mensurationis rationis. Si vero actus aliquis intrinsece, et realiter voluntarius sit, realem quoque ordinem participare potest ad objectum mensuratum regulis rationis, quod solum potest esse objectum voluntarii actus, ut voluntarius est. Esse autem proprie, et realiter voluntarium maxime invenitur in actibus a voluntate elicitis, et

THEOLOGIA V.

ideo de illis proprie loquitur conclusio.

XXIV. Et sic prima ejus pars deducitur ex D. Thoma hic quæst. xviii, art. iv ad secundum, ubi inquit: « Quod licet finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio, et relatio in ipsum inhæret actioni. » Relatio autem inhærens non est denominatio extrinseca; in hoc enim differt denominatio intrinseca ab extrinseca, vel a respectu rationis, quod hæc non inhæret subjecto, sed solum extrinsece denominat, ut esse visum in pariete, vel in cognitione tantum habet esse, si ad instar formæ inhærentis concipiatur. Relatio ergo, et proportio in finem, si est inhærens actui, non est denominatio extrinseca in illo. Similiter loquitur D. Thomas de relatione, et proportione in finem pertinente ad genus moris, quia loquitur in illo articulo de actione humana, in quantum humana, et moralis; ibique distinguit bonitatem, quam habet actus in genere naturæ, et quam habet in genere moris ex objecto, circumstantiis, et fine; ergo loquitur de proportione, et ordine ad finem, qui spectat ad genus moris, et non ad bonitatem præcise in esse naturæ. Eodem modo loquitur in articulo sexto ejusdem quæstionis, ostendens quod ex fine habetur species boni, et mali in actu interiori, quæ species utique morales sunt. Et in articulo quinto docet: « Quod differentia boni, et mali circa objectum considerata comparatur per se ad rationem, scilicet secundum quod objectum est ei conveniens, vel non conveniens, dicuntur autem aliqui actus humani, vel morales secundum quod sunt a ratione: unde manifestum est, quod bonum, et malum diversificant speciem in actibus moralibus. » Ecce quomodo D. Thomas manifeste loquitur de bonitate, et malitia mo-



rali, quatenus sunt species moralitatis, et illas docet sumi ab objecto, et a fine, qui est objectum actus interioris; ergo si ordo ad objectum, seu finem in his actibus est ordo intrinsece inhærens actui, utique ordo moralitatis in actibus, ordo intrinsecus, et realis est, quia inhærens.

XXV. Nec omisit D. Thomas actum malum moralem, quasi hujus actus moralitatem non constituat in ordine etiam ad objectum, quando constituitur species moralitatis in malo. Cum enim in eodem articulo quinto objecisset sibi argumentum secundum, quod malum est privatio, et non ens; ergo non potest esse differentia, neque constituere speciem, respondet: « Quod dicitur actus malus secundum speciem, non ex eo quod nullum habeat objectum, sed quia habet objectum non conveniens rationi, sicut tollere aliena: unde in quantum objectum est aliquid positive potest constituere speciem mali actus. » Sed non dicitur objectum aliquid esse positive, quia in se entitative sit aliquid positivum, sed quia ab actu positivo in ordine respicitur, non enim repugnat actum ferri in aliquam negationem, verbi gratia non dare, non facere: et objectum quod S. Thomas assignat est objectum non conveniens rationi, ubi ly non conveniens aliquid negationis importat. Ergo actus malus constituitur in specie morali per ordinem ad objectum. Si ergo iste ordo est inhærens actui, utique ordo intrinsecus est, non ordo rationis, non extrinseca denominatio.

XXVI. Et ex hoc sumitur fundamentum conclusionis, quia ratio moralis in actibus sumitur per comparationem ad objectum consideratum non in esse naturæ, sed in comparatione ad regulas moris: sed actus in ordine ad objectum, et ad omnia, quæ in

objecto sunt, comparantur per ordinem intrinsecum, et realem; ergo per eundem constituuntur in ratione, et in esse morali. Consequentia est certa, quia constituuntur in esse morali per ordinem ad objectum regulatum regulis rationis, seu prout cadit sub ordine rationis, ut dixit D. Thomas quæst. xix, artic. 1 ad tertium. Ergo si ordo ad objectum, et ad ea quæ in objecto sunt est intrinsecus, et realis, etiam in ordine ad objectum ut regulatum erit ordo intrinsecus, et realis. Minor etiam constat, quia actus non ex aliquo extrinseco, et superveniente, sed ex ipsis visceribus, et propria natura actus inclinatur in objectum, quia respicit illud ut specificativum; ergo ab intrinseco, si quidem ad specificativum non inclinatur nisi ut specificabilis, non est autem specificabilis, et accipiens speciem nisi per ipsam intrinsecam naturam, et entitatem suam.

XXVII. Nec obstat quod moralitas non est species intrinseca, et entitativa actui in esse naturæ. Nam licet hoc verum sit, quod moralitas sit species accidentalis actui considerato in esse naturæ, tamen quia sumitur hæc accidentalitas species ex ordine ad objectum prout subordinatum regulis morum, et ille ordo nunquam potest esse superadjectus ipsi actui, nec per extrinsecam denominationem conveniens, sed ab intrinseco innatus, et cum ipso actu formatus, quando ex potentiæ visceribus prodit, ideo hoc ipso quod probatur, quod convenit actui moralitas per ordinem ad objectum, manet probatum quod non per denominationem extrinsecam ei convenit, sed ex natura actus nascitur, etiam si accidentaliter in objecto se habeat, et accidentalem speciem constituat: sicut visio respicit in objecto colorato non solum colorem, et lucem, sed etiam motum, quie-

tem, figuram, et alia sensibilia communia, quæ accidentaliter se habent ad visionem, et tamen positivo respectu visus tendit ad illa, quia eodem ordine, quo tendit ad objectum proprium, tendit ad ea, quæ objecto accidunt, illudque circumstant, etiamsi sit aliquid negativum ut quies. Imo idemmet ordo specificativus, qui tangit objectum in se, tangit accidentalia talis objecti, quia ordo ad objectum in actu non est ordo ad objectum nudum, sed circumstantiatum, et sic eodem respectu, quo tangitur in se, tangitur cum his, quæ objectum circumstant. Sic ergo actus voluntatis eodem respectu, quo tangit objectum ut appetibile, et bonum in esse naturæ tangit illud ut subjectum regulis rationis, licet hoc sit accidentale respectu primi; sicut visus eodem respectu tangit colorem, et motum, vel quietem ejus, licet hoc secundum sic accidentale respectu coloris.

XXVIII. Et ex hoc confirmatur, et declaratur amplius, quia actus non potest tangere in objecto hoc quod est esse conveniens, vel disconveniens rationi, nisi quia respicit tale objectum non solum secundum bonitatem, seu appetibilitatem in esse naturæ, sed etiam in ratione regulabilis, et ordinabilis per rationem; nam actus non regulatur a ratione, et a lege, nisi ratione objecti quod attingit, non ratione sui ut quædam qualitas est a subjecto egrediens; nec objectum attingi potest, aut id quod ex parte objecti se tenet, nisi per hoc quod actus ipsum respiciat, non per aliquam extrinsecam denominationem, aut per aliquem alium modum, quam per respectum, et ordinem ad tale objectum, quia inter objectum, et actum non est alia via, aut modus quo objectum pertinet ad actum, et actus ad objectum, quam per tendentiam, et proportio-

nem, seu habitudinem hujus ad illud. Quod enim non reguletur actus a ratione, et lege, nisi prout attingit objectum, et mediante objecto regulato constat, quia nulla lex prohibet, aut præcipit actum, ut præcise qualitas vitalis est egrediens a potentia, sed solum ratione materiæ quam tangit, et super quam cadit, sicut prohibet occisionem, quia occisio hominis est, non quia actus vitalis est a voluntate, vel potentia motiva elicitus. Et idem est in reliquis actibus a quibus, si præscindamus objectum, et materiam super quam cadit, nec præcipi potest, nec prohiberi, atque adeo nec regulari lege, et ratione.

XXIX. Quod quidem in actibus, qui ex suo genere boni, vel mali sunt, id aperte constat, quia esse bonum, vel malum ex genere idem est quod esse bonum, vel malum ex objecto, et sic id quod bonitatis, seu moralitatis est in actu præsupponitur in objecto, ab ipsoque hauritur. Qui vero sunt boni, aut mali ex circumstantiis, non est quia tales circumstantiæ afficiant immediate actum, sed afficiunt objectum, et ab objecto circumstantiato accipit actus moralitatem: sicut accipere alienum in tanta quantitate, illa quantitas non afficit actum, sed rem acceptam, et inde attingitur ab actu. Et similiter accipere rem in loco sacro, locus sacer non afficit actum in se, sed objectum, scilicet rem acceptam; et accedere ad consanguineam, vel ad uxoratam sunt circumstantiæ afficientes personam, et inde derivantur ad actum; ergo illa formalitas deserviet actui ad hauriendam, et participandam moralitatem, quæ illi deservit ad participandum aliquid ab objecto; solum autem ad hoc deservit habitudo, et ordo quæ actus habet ad objectum, quia non est alius modus, quo comparetur ad